

† R. P. Gulielmus Janauschek.

(*Prov. Vindobon.*).


† R. P. Gulielmus Janauschek.

(*Prov. Vindobon.*).

Cum P. Janauschek iam ultimo morbo in valetudinario sororum tertii ordinis S. Francisci Vindobonae decumberet, quodam die ad invisentem se sodalem conversus, « Pater », inquit, « in hac domo sanctus homo aeger lecto affixus iacet, P. Puntigam e Societate Iesu. Visita, quaeso, eum ». Quem cum P. N. aegroti precibus obsequens invisiisset, mox ex eius ore eadem fere verba audivit: « In hoc aegrorum hospitio sanctus homo aeger est, sodalis vester P. Janauschek ». Mortuum igitur hunc sodalem hominum iudicio sanctum describere aggredimur, rem sane non facillem, sed percaram, nam illi, qui scribit, animi grati memoria pennam ductura est.

Familia P. Janauschek e Bzenec Moraviae oriunda Vindobonam migraverat, ubi Gulielmi nostri parentes leguminum praesertim penorisque mercatura rem familiarem satis amplam ac florentem adepti sunt.

Uterque autem parens fidei ac pietatis spiritu plenus familiam non parvam more christiano atque catholico regere non omisit, cuius rei testes liberi sunt optime educati. Duo fratres Gulielmi nostri vitam religiosam secuti sunt, unus in ordine Minorum Capucinorum, alter inter filios S. Benedicti.



Duo matrimonio iuncti vitam vere catholicam egerunt, ac praesertim maior Iosephus inter primos semper rei catholicae Vindobonae antesignanos visus est. Soror vero matrona piissima parentum fratrumque laude digna est.

Gulielmus Vindobonae natus est die 23 m. octobris a. 1859. Adulescens inter studia humaniora iuvenum societati adhaesit, cui P. Franciscus Tendler, sodalis noster celeberrimus, praefuit. Eius exemplis ac pietate Congregationis amore concepto, cum aetatis annum duodevicesimum nondum attigisset, Eggenburgi noviciatum ingressus magistro usus est P. Andrea Hamerle. Noviciatu finito sine votis, ut tum mos erat, Mauternam in studentatum migravit, ubi die 28 m. aprilis a. 1878 vota professus studia sua prosecutus et die 29 m. augusti a. 1882 sacerdotio auctus est.

Vitae cursus P. Janauschek muneribus in Congregatione gerendis, si paucos annos excipias, repletus est. Postquam initio in studentatu socius praefectum iuvit et litteras latinas, graecas, germanicas docuit, autumno a. 1885 principiis iuvenatus Leobiensis moderandis praefectus est. Post duos annos iuvenatum Katzelsdorfium migrantem (*Conf. Anal.*, III, pag. 205) in alias manus tradidit, ipse vero Budvicum et brevi post in Montem Matris Dei prope Grulichium concessit, ubi lingua tum germanica tum bohemica in vinea Domini laboraret. At iam anno 1890 Eggenburgi noviciorum magister creatus est, quo munere non est solutus, nisi ut a. 1901 provinciam, quae illo anno Pragensi provincia constituta Vindobonensis nomen acceperat, gubernandam susciperet. Duobus trienniis expletis a. 1907 Vindobonae primum in domo Hernalensi, postea ab anno 1909 ter ad Scalas B. Mariae V. Rector creatus est. Rectoratu deposito a. 1918 Hernalsii ministrum egit, at iam a. 1921 Leobii iterum Rector salutatus est. Vindobonae denique ad Scalas Marianas inde ab anno 1924 minister in caelum migravit. Addas, quaeso, P. Janauschek duodecim annos simul consultoris provincialis munus obiisse et semel atque iterum iussu Rñi P. Generalis alias provincias in visitatione extraordinaria perlustravisse, et sodalem nostrum vix umquam a gravissimis muneribus vacavisse concedes, quibus superiorum fiducia in Congregatione cumulatus est. Interea, dum magister noviciorum est, in curia episcopali S. Hippolyti processus ordinarius de fama sanctitatis ac de virtutibus fratris laici Ioannis Bapt. Stoeger, qui in collegio nostro Eggenburgensi vita sancte acta die 3 novembre a. 1883 mortuus erat, institui coepus est. P. Janauschek in hoc processu vicepostulatoris onus suscepit, cuius labores anno 1902 ad finem perduxit. Cumque tribus lustris post processus apostolicus in eadem curia episcopali institueretur, iterum P. Janauschek pro postulatore eandem causam tuitus est. Servum Dei ipse olim coram noverat, magnamque eius venerationem, quam iam prius conceperat, his laboribus maxime auctam esse, quis est qui miretur?

Hoc externo, ut ita dicam, vitae margine virtutum imago viva continebatur. In tota eius externa specie atque habitu sanctae puritatis quidam flatus spirabat, quo aspectus magis, quam aetati conveniebat, invenilis servari videbatur. Simul autem oculis animus virili gravitate ardens eminebat. Tota porro eius morum indoles in viva atque inconcussa fide fundata erat. Id sponte praedicares, si eum sive ad altare progredientem, sive sacrum devotissime facientem, sive imprimis deinde nihil aliud, quod circa erat, cernentem vel sentientem in gratiarum actione post s. missae sacrificium defixum videres.

Qua ratione munera sua administraverit, paucis tantum allatis exemplis ostendere libet. Ut nova cognoscendi studium in noviciis reprimeret, ipse interdum ephemeridem aliquam in recreationem secum tulit, at non, quid novi accidisset, legit, sed ab ultima pagina incipiens mercaturaefacienda rationes condicionesque ac farinae, lentium aliarumque mercium pretia ibi renuntiata prompsit, acsi his rebus ipse maxime delectaretur. Exemplo magis suo quam verbo novicios erudire voluit. Itaque quandam, cum unum e noviciis vehementius se increpuisse putaret, omnibus praesentibus ad eius genua procumbens veniam precatus est. Num quem magistrum de humilitatis virtute exercitanda valentius ad novicios dixisse existimamus?

Cum post magisterium noviciorum sive provinciae sive variis domibus praeesset, id unum p[re]ae oculis habere visus est, ut regularum observantia in tuto collocata sodalibus, quibus p[re]aeerat, non oneri, sed levamini esset. Ad s. missiones exiens perarum meliorum sociis suis copiam faciebat ipse deteriore contentus. Nec passus est sarcinas suas in itinere ab alio portari. Domi non secus ac ceteri Patres ex ordine hora tarda sacrum facere voluit, cumque p[re]aeftus ecclesiae rectori horam destinare vereretur, bis per hebdomadem horam ultimam sibi reservavit. Nec melius quam eius exemplo illud Iesu Christi illustraveris: *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui p[re]aecessor est, sicut ministrator* (Luc. 22, 26).

Congregationis amore non solum, quidquid virium erat, in eius servitium impendit, sed sodales quoque singulos dilectione paterna fraternaque complectebatur. Quamquam ipse indole potius seria erat, in recreatione tamen facete ioca agere et ridere non omisit, ut sodalium levamini animorum consuleret. Cum iam aeger ac morbo debilitatus dominica Paschatis medico permittente e valetudinario domum vectus esset, ut inter fratres prandio interesset, aspectu miserando probebatur, quam vehementer cruciaretur. At commiseranti cuidam sodali, quod tantos dolores aeger toleraret, haec omnia summa laetitia compensari respondit, quod iterum inter fratres morari potuisset. Eiusdem caritatis erat, quod allato de obitu sodalis alicuius e provincia nuntio rector in proximo culparum capitulo num-

quam de eius vita et virtutibus dicere omisit. Et in sodalibus defunctis  
praeclare facta inveniendi vere artifex fuit.

Pauperum misericordia in eo maxima fuit, ita ut superior provinciae  
domusve nonnullis fortasse nimis liberaliter stipes largiri videretur. At  
P. Janauschek caritate ac misericordia motus miseris se negare non po-  
tuit, si subveniendi copia erat. Paupertatis sane limites numquam prae-  
tergressus est, et sodalibus Deo providente numquam defuit, quod neces-  
sarium esset. Cum in bello et primis post bellum finitum annis tempora  
augusta ingruissent, P. Janauschek vix quidquam tam aegre tulisse vi-  
detur, quam quod pauperum inopiae multo quam prius maiori non satis  
succurrere posset.

Multum P. Janauschek in missionibus laboravit, non solum intra Au-  
striae antiquae fines, sed foris quoque, in Germania, et paucis ante bellum  
exortum annis etiam inter Germanos ad Odessam urbem Russiae colonos  
missionum cursum habuit. Patres libenter in sacras expeditiones eum co-  
mitabantur, quia eius agendi rationem noverant comem et amoris plenam,  
qua sodales, quantum poterat, sublevare conabatur. Contiones grandes ve-  
spertinas et sollemnes superior Patribus aliis et iunioribus haud gravate  
concedere solitus est, ipse minoribus contentus. Praesertim parvulos suam  
sibi partem legebat, quos suo genere dicendi simplici ac non simulato et  
ad eorum intelligentiam accommodato alliebat. Exercitationibus etiam  
spiritualibus innumeris sive sacerdotum et religiosorum, sive laicorum  
praefuit. A monasteriis imprimis monialium iterum atque iterum eius  
exercitationes expetebantur. Apud moniales S. Ursulae Graecii in Styria  
tam saepe eis praefuit, ut tandem nihil iam se scire quereretur, quod  
eis diceret.

Oratoris splendidi laude P. Janauschek non floruit, nec dicendi genus  
grande sectatus est. Sed, quod ipse meditando e corde suo prompserat,  
sermone simplici, at ingenuo vere ac sincere proferebat, ita ut homines tam  
rudes quam litterati ex ore eius penderent. Deum enim, non se praedi-  
cabat. Quod olim de sancto nostro Clemente M. Hofbauer homo doctus  
dixerat, contiones eius ea re insigne fuisse, quod ipse eas habuisset, idem  
de P. Janauschek dicere licet. Budvicii quidem initio etiam lingua bohe-  
mica, quam a parentibus didicerat, e sacro suggestu dixit, post vero, cum  
iam plus quam decem annos omni eius usu caruisset, in confessionali saltem  
utraque lingua uti se posse gavisus est. Ac sacrum tribunal eius deliciae  
fuisse videntur, ubi horas plurimas egit, sive in laboribus apostolicis foris  
sive domi commorans, paenitentes exspectans atque auscultans. Cum paen-  
itentibus serio, et tamen familiari quadam caritate egit, quo factum est, ut  
plurimi homines nobiles non minus quam rudes ad eum confluenter. Sed  
si quem potiorem habuit, rudioribus pauperibusque potius quam doctis ac  
divitibus principatum deferre visus est.

- Autumno anni proxime elapsi, quamquam ipse nihil querebatur, vires Patrem Janauschek deficerē ipseque graviter aeger esse videbatur, et medici ad sectionem chirurgicam deveniendum esse cognoverunt. Qua die 8 et iterum 12 mensis octobris a celeberrimo universitatis Vindobonensis professore Eiselsberg facta cognitum est eum intestinorum carceromate affectum longamque infirmitatem secuturam esse. Sorores, in quorum hospitio sectione facta remansit, et grato animo actae, quia mater P. Janauschek olim monasterii initia in summa egestate tempestivo magno beneficio sublevaverat, et magna de aegroto aestimatione concepta summam piissimamque curam ei adhibuerunt. Neque, cum sorores S. Vincentii operam suam grato item animo actae offerent, concedere voluerunt, ut domum suam aeger relinqueret.

Ac tum quidem P. Janauschek, qua fuit in vita virtute, eadem aegrotus ornatiōr etiam apparuit. Pulcherrimum ac verissimum est testimonium illud, quod Soror Bartholomaea, quae ei ministrabat, conscripsit, quodque sermone latino redditum hic afferre a re nostra non alienum ducimus. Scribit enim soror illa:

«P. Janauschek, ex quo in hospitium nostrum venit, moribus habituque suis in tantis corporis malis animum tranquillissimum servare visus est. Per novem illos, quibus in cura nostra fuit, menses ne unum quidem ab eo umquam dictum audivi, quo dolorum impatientia vel querela aliqua proderetur. Dei voluntatem in omnibus fieri credidit eoque solacio firmabatur. Cum saepius ei diceretur multos Deum rogare, ut sanitatem ei redderet, eumque miraculo convalescere posse, respondebat: 'Certe vero, Deus omnia potest, sed hanc eius voluntatem non esse existimo'. Animus eius voluntate Dei magis occupabatur quam corporis infirmitate. Nonnumquam repetivit: 'Sodales mei in missionibus laborant, confessiones excipiunt aliaque multa operantur; me Deus id facere ac sustinere vult, quod nunc a me poscit, ut tolerem'. In gravissima infirmitate sua non minus bene se habere visus est, quam cum in labores apostolicos incumberet... Saepissime de Dei providentia locutus est, quae tantam curam sibi impendisset. Maxima laetitia eo afficiebatur, quod in sacello nostro SS. Sacramentum visitare posset. Subinde etiam e colloquiis eius familiarissimis cum Iesu in altari abscondito aliquid arripere mihi contigit. Cum vero tandem viribus destitutus in sacellum iam pedibus ire non posset, tanta nos dolor eius commiseratione affecit, ut eum e lecto sublatum vehiculo manuali in sacellum portaverimus. Ad quod servitium piissimo sacerdoti praestandum sorores certatim accurrebant. Sanctum sacrificium, quod ut in conclavi suo sedens celebrare posset, peculiari privilegio obtinuerat, felicitatem incredibilem ei afferre vidimus. Cum magna aedificatione et dignitate etiam aeger sacrum fecit. Quo ne careret, ultimis vitae hebdomadibus supra hominis vires multa molitus est. Ad ultima tria sacra, cum iam assurgere

non posset, ad lectulum sedens vestibus sacris indutus et cum sedili ad altare portatus est. Die festo Matris de perpetuo succursu, ut summopere optaverat, ultimum sacrum fecit. Post s. missam saepe eum repetentem audivimus: 'Mi Iesu, nunc coniuncti sumus; iam numquam separabimur, sed semper coniuncti manebimus'. In gratiarum actione facies eius non raro animam supra terram elevatam et quasi absentem prodidit. Mane deinde omnia ad gratias agendas, post meridiem noctuque ad novam præparationem directa erant. Sanctos caelites angelosque, imprimis vero Matrem Dei invitabat, ut ad altare sibi assisterent. Quam familiari autem pietate Matrem de perpetuo succursu dilexerit, vix dici vel credi potest. Materculam suam (*Meine Mammi, meine Mutti*) eam vocare solitus est. Quondam in conclave rediens leniter arridentem eum inveni, cumque interrogassem, quid adeo ei placeret, respondit: 'Duae sorores ad me venerant, quae rogaverunt, ut ad carissimum meum Iesum profectus pro eis orarem, quare me mox moriturum esse puto; sorores illae magnum mihi gaudium nuntiaverunt'. Paulo ante mortem animi arrigendi causa ei dixi: ne mortem metueret. At ille, 'O soror', inquit, 'mortem non timeo, non, non'. Haec Sor. Bartholomaea, assidua eius novem mensibus ministra, testatur.

Quid mirum, quod non sorores solum, sed medici quoque et omnes, quibus eius cognoscendi considerandique copia erat, aegrotum hunc maximi fecerunt. Nocte Natalis Domini ipse medicus primarius, ut sollemnia augeret et aegroto gratificaretur, ad sacrum ab eo litatum harmonio, quod dicitur, in eius conclave allato sororum cantantium voces comitari voluit. Alius medicus, qui non est catholicus, in P. Janauschek se cognovisse professus est, quid vera pietas esset.

S. sacramentis P. Janauschek iam pridem muniri petiverat. Itaque bene præparatus mortem exspectavit et ultimo die mensis iunii SS. Cordis Iesu sacri, de quo olim in collegio Vindobonensi cotidianos per mensem iunium habendos sermones instituerat, astante Rectore domus ad Scalas Marianas migravit in caelum.

Quae eius fama fuisset, tunc apparuit, cum innumeri homines aliquid, quod in eius usu fuerat, vel flores, quibus corpus in arca constratum erat, memoriae causa sibi expeterent. Soror aegroti usque ad mortem ministra partem vestis talaris, qua corpus ad sepulturam velatura erat, desectam reliquiae loco servavit. Funus comitatu quinquaginta sacerdotum magnaenque populi multitudinis die 3 iulii huius anni 1926 in campum sacrum elatum est.

Sanctitatis fama Patrem Janauschek sequitur multique iam eius patrocinio se commendant res non communes eo intercedente se obtenturos sperantes. En autem, eadem Soror Bartholomaea haec testatur: Uxor mercatoris cuiusdam Zwettlani nomine Amelia Schwarz sectione chirurgica

facta febri atque cordis debilitate tam magna, ut venarum pulsus vix sentiretur, sorores et medicos sollicitabat, qui, quid factum faciendumque esset, nescientes in angustiis erant. Tum Soror Bartholomaea aegrotam monuit, ut defuncto P. Janauschek se commendaret, et cum ea statim novem dierum precationem incepit dicens his diebus elapsis mulierem sine ulla dubitatione sanatam esse oportere. Et ita factum est. Nono precationis die mulier lectum reliquit moxque sana domum rediit. Quod ita accidisse et ipsa Amelia Schwarz, quae aegra fuerat, et medicus Dr. C. Mayer cum Sor. Bartholomaea nominibus subscriptis confirmarunt.

Nos autem pro tot virtutum exemplis Deo gratias agentes animam hanc bonam eius misericordiae commendamus, quid Domino placitum sit facere, exspectantes. R. i. p.!